

20.462

Foll. 20.462

THEOREMATA

PHILOSOPHICA,

JUXTA ANGELICAM DOCTRINAM

S. THOMAE AQUINATIS,

DEPROMPTA,

PUBLICO EXHIBENTUR CONFLICTUI.

TELA ARGUMENTORUM INFRINGET

D. JOSEPHUS PRATS, ET SIMÒ,

in Perillustri Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Collegio-
Seminario Toga candida decoratus.

PRAESES ADERIT

D. PETRUS LESPIAULT, ET RIMBAUD,

PHILOSOPH. MAG. SAC. THEOLOG. DOCT. IN EODEM
Sem. Alumnus, & pro Thomistica Schola Philosoph.
Cathedraticus.

CERTAMINI LOCUM PARABIT

Ecclesia Florentissimi Orcelensis Seminarii S. Mich. Archang.
Die // mensis *Junii* anni M.DCC.LXVII.

Cum facultate Sanctæ Inquisitionis.

MURCIAE: APUD PHILIPPUM TERUEL,
via Lintearia.

R 20.462

REC.D. 2016



ECCE PLVS

OVAM SALOM

Paredes Sculp

Alicante

CATHOLICAE ECCLESIAE
FULGENTISSIMO SOLI,
ANGELICO SCHOLARUM MAGISTRO
DIVI THOMAE
AQUINATI.

D. JOSEPHUS PRATS, ET SIMÒ,
Collegio-Seminarii Alumnus.



*D Te, Doctor nos-
ter amantissime, ac
Patrone singularis
nec lento, nec vio-
lento, sed veloci, et
spõtaneo cursu hæc
Philosophica Theo-
remata pergunt.
Ex Tua quippe cla-
ra, celsa, et firmâ
sententia deprõmp-
ta, Te, Heros
Sanctissime, In-
clytum Patronum,
ac Protectorem sibi jure vendicant præstantis-
si-*

simum. Tanti Doctoris tutela munita haec Philosophiae placita prodeunt in lucem? Ergo ad acuta Censorum jacula, vel prohibenda, vel gloriosissime sustinenda nec quidquam aliud quaerendum deest, aut desiderandum. Te siquidem Praeceptor Charissime, piissimo Protectore, quem timebunt! Te potentissimo Patrono, à quo trepidabunt! quae Tuum igitur promerentur patrocinium, et fortunatissimam sibi pollicentur gloriam, et Tua luce perfussa, quasi Angelicè signata, optatam sapientum approbationem, omnibus profectò expetitam felicitatem, praesferre videntur. Mortalium neminem id rapiet in admirationem; omnibus etenim jam satis superque constat, plurima esse, aut fere innumera plausibilia elogia, quibus miram Aquinatis nostri Doctrinam à Christo Domino benè receptam, semel et iterum approbatam, Doctores, Patres, Concilia Sacra, et Ecclesiae Principes commendarunt. Eja ergo, Tante Doctor, Tante Magister, secundo, ac benigno vultu peramanter suscipias praecor haec Philosophica Theoremata, quae Tuo eximio, et praeexcelso nomini, quod jam nativa indole, aut occulto pondere postulabant, inscribere constitui: et ut mihi, meisque Thessibus firmum, ac validum praesidium consequar, et ut Tibi, posterisque omnibus perpetuum exhibeam meae gratitudinis monumentum.

PHI-



PHILOSOPHIA

IN COMMUNI.

I.



Philosophia est facultas illa, quam veteres in altum extulerunt, quamque Sancti Patres non flocci putarunt; ea etenim est amor, seu studium sapientiae, ut ab omnibus fertur interpretata: ea demum est facile

pulcherrima Scientia, quæ homines mitiores reddit, aut humaniores: quæ propterea *Animi cultura*, *vivendi ars*, *Animi medicina*, *omnium benefactorum*, *dictorumque Mater*, à Cicerone meruit appellari; atque *Scientia rerum naturalium per causas naturali lumine investigabiles*, à nobis proponitur definita. Ejus utilitatem nullus est, qui perfectè non

A

cal-

(2)
calleat , qui plenè non cognoscat. Deum
Optimum Maximum respicit Auctorem : ab
Adamo in ejus posteros transmissa , per stu-
dium aucta , & ad veritatem cognoscendam
concepitur ordinata. Hujus facultatis partes
praecipuae sunt , Logica , Metaphysica , &
Physica , quam sic tripartitam ad resolu-
endum suscipio.

*PHILOSOPHIA RATIONALIS,
sive Logica.*

II.

Logica , Rationalis Philosophia latinè nun-
cupata , est ille nitidus rationis oculus,
necessarius valdè , ut homo sine ullo prorsùs
errore procedat : illa est lucida ingeniorum
pharus , quae obscura rerum , artiumque pe-
netralia , satis , superque lustrat , & illustrat.
Haec igitur disciplinarum disciplina , *Scientia
inquirendi verum , et docens verum à falso
discernere* , ab Isidoro jure describitur ; at-
que *Facultas agens de instrumentis sciendi* à
nobis non immeritò definitur. Eam in Natu-
ralem , & Artificialem contemplare divisam,
quarum illa : *Naturale rationis lumen , incli-
nans intellectum ad conficienda Logica arte-
facta* ; ista verò : *Facultas intellectum ins-
truens ad conficienda logicae artefacta juxta
determinatas regulas* , quam optimè definitur.

III.

(3)

III.

Logica artificialis actualis, & habitualis divisionem sibi adamat: demonstrativae, probabilis, & sophisticae distributione congaudet: atque docentis, & utentis munera fortitur: undè Logica docens, & utens non sunt duplex habitus, sed cum duplici munere habitus idem. Logica docens in parte demonstrativa, probabili, & sophistica, virtutis mentis nanciscitur gloriam; hujus tamen non omnes amplectitur species: intelligentiae siquidem, prudentiae, sapientiae, atque artis propriè talis limina refugit; artis verò liberalis rationem verè, ac propriè participat, atque Scientiae penetralia placidissimè subintrat; reduplicativè tamen ut utens Scientiae nomine condecorari non valet.

IV.

Nullus actus intellectus ad intra operantis est in sententia D. Thomae propriè, & simpliciter praxis: haec ergò optimè definitur: *Opus alterius potentiae ab intellectu*; qua de causa logica, quae pro fine veritatis aspicit contemplationem, habitus est simpliciter speculativus; practicus verò secundum quid. Ad statum substantialem, sive perfectum, sive imperfectum caeterarum Scientiarum, ipsam moraliter solum, aut secundum quid: ad statum verò accidentalem, etiam physicè, ac simpliciter necessariam judicamus,

A 2

Logi-

(4)

Logicae primarium, ultimòque intentum ab ea materiale objectum, conceptus habebis objectivos, si eos secundò intentionalitè sumas, ac pro substracto, vel de materiali suscipias; enim verò conceptus formales in formam artefacti dispositos, materiam purè extrinsecè dirigibilem prospicit, & secundariam. Ejus deniquè objectum formale in passiva artefactorum logicalium directione, ab actibus intellectus prorsùs distincta, atque in formationis ab eo cum fundamento ficta, desiderio statuas desideramus. Strictam quantumvis non patiatur definitionem idemtitas, de mente Philosophi non incongruè declaratur: *Unitas in entitate*; proindequè idemtitati ex diametro opposita distinctio erit: *Carentia unitatis in entitate*. Quae hujus multifariam divagantur partitiones, in arena dignoscendae sunt. Gradus intèr metaphysicos ejusdem rei creatae distinctio realis absoluta est penitus releganda; Scotica distinctio prorsùs repugnat; formalis tantùm ex parte actus, haud sufficit; virtualis maxima superfluit; solùm ergo virtualis minima, objectiva quoque Thomistica praecisio, amplectendae, atque propugnandae sunt.

DE UNIVERSALIBUS.

V.

UNiversale, si nominis etymon ritè introspiciatur, nihil est aliud, quam *Unum plu-*

plura respiciens. Triplex enumeratur, scilicet in *causando*: in *repraesentando*: & in *essendo*; hoc ultimum, de quo in praesenti, sic enucleatur: *Unum in multis multiplicabile*. Ternas natura, ut universalis fiat, condiciones exposcit, quas, prout contendenti arrideat, ad captum referam. Nullam naturam à singularibus separatam realiter universalem autumes; neque naturam aliquam formaliter à parte rei universalem possibilem judices. In statu igitur contractionis, seu à parte rei non aliam unitatem obtinet natura, quam virtuales, aut fundamentales. Praeter voces, & conceptus, universales quidem in repraesentando, objecta ipsa universalia stantentes, Nominalium nos opinionem adprobare quis judicavit? Universale ergo in essendo ab actu intellectus distinctum consequenter sustinemus.

VI.

UNiversale in Metaphysicum, & Logicum partitur. Universale Metaphysicum, quod est: *Natura ab inferioribus per intellectum abstracta*, per abstractionem, positiva sit, aut negativa, non *agentis*, sed *patibilis* intellectus, adsurgit, ac efficitur. Forma ejus constitutiva unitas est rationis, ex actu intellectus patibilis abstrahente pullulans, ab istoque distincta. Universale Logicum est natura ad inferiora, à quibus aliàs fuerat praecisa, intellectus beneficio comparata; rectè igitur definitur: *Natura abstracta, &c.* Per actum intel-

(6)

tellectus patibilis , non absolutum , sed comparativum , non compositum , sed quidem simplicem , logicum efformatur universale. Formam habet constitutivam , rationis nempe relationem , qua natura ad inferiora refertur , quaeque à cognitione illam ad ista comparante , & ab utrisque sanè distincta refilit. Actualis naturae de inferioribus praedicatio vim non habet , ut faciat universale , nec ea , ut destruat , praelucet potestate , ipsum licet conservare valeat , & sufficiat.

*DE QUINQUE PORPHYRIANIS
Praedicabilibus.*

VII.

Ratio universi univocè , & adaequatè partitur in quinque , quas Porphyrius enumeravit universales ideas , Genus scilicet , Speciem , Differentiam , Proprium , & Accidens. Genus inter praedicabilia primum describitur sic : *Quod praedicatur de pluribus, &c.* Essentialiter ita definitur : *Universum ut pars materialis essentiae.* Species , & est natura genere , cui subjicitur , inferior , quo modo subjicibilis vocatur : & est individuus , de quibus valet praedicari , superior , qua de causa praedicabilis appellatur. Species ut subjicibilis ita definitur : *Quae immediatè ponitur, &c.* ut praedicabilis sic : *Quae praedicatur de pluribus, &c.* essentialitè tandem hoc modo : *Universum ut tota inferiorum essentia.* Species formalitè ut subjicibilis , praedicabilis non est.

VIII.

VIII.

OMne , quod ita unum est , ut multiplici-
 tatis expers sit , & divisibilitati in res
 ejusdem naturae minimè sit obnoxium , dici-
 tur Individuum : quod *primò intentionalitèr*
 sumptum sic explicatur : *Indivisum in se, &c.*
Secundò verò intentionalitèr acceptum ; ut
 subijcibile definitur : *Quod immediatè subji-*
citur speciei : ut praedicabile enodatur ita:
Quod tantùm de uno praedicatur. Triplicem
 agnoscimus Differentiam , communem vide-
 licèt , propriam , & propriissimam ; haec divi-
 sio adaequata est , univoca tamen non est.
 Differentia propriissima hoc tertium constituit
 praedicabile , ita rectè definiendum : *Quod*
praedicatur de pluribus in quale quid ; ejus
 essentialis definitio est haec : *Universum ut*
pars formalis essentiae. Quatuor Proprii ac-
 ceptiones adducit Porphyrius , quas edisse-
 ram inquirenti ; verùm Proprium , quod om-
 nium calculo in quarto modo nominatur,
 praedicabile quartum constituit , quod ita de-
 finitur : *Quod praedicatur de pluribus in qua-*
le necessario. Accidens quintum praedicabi-
 le ita exactè describitur : *Quod praedicatur*
de pluribus in quale contingentèr.



ME-

(8)
METAPHYSICA INTENTIONALIS,
sive Ontologia.

DE NATURA, ET DIVISIONE METAPHYSICAE; ubi de Ente, & ejus statibus.

IX.

Philosophorum consensu, dum Metaphysicam audio, *Facultatem de Ente reali à materia abstracto disserentem* intelligo. Cum ergò gemino modo Ens à materia abstrahi valeat, gemina quoque distinguitur Metaphysicae pars, *Pneumatologia* scilicèt, & *Ontologia*: illa *Metaphysica Realis* dicta, rerum spiritualium substantias, & attributa solo naturali praelucente lumine patefacit; haec autem *Intentionalis Metaphysica* vocata, Ens reale materiale, ejusque passionis per mentem abstractas expendit. Objectum attributionis, ens reale in communi ab omni materia abstractum, aspicit Metaphysica; principalitatis objectum, Deum naturae Auctorem contemplatur. Scientia est, & sapientiae obtinet dignitatem, intelligentiae, prudentiae, & artis participat essentiam? Minimè gentium. Est propriè, ac simpliciter speculativa, atque simplex qualitas à nobis existimatur.

X.

Quae *Univocis*, *AEquivocis*, & *Analogis* definitiones adaptari debeant, quasque proprietates, ac divisiones habeant,
ar-

possibilitas, alia dicitur extrinseca, quae in virtute causae sine dubio consistit; alia intrinseca, quae per aptitudinem ad existendum constituitur. Possibilitas necessaria, & absoluta, qua res ab aeterno denominantur possibiles, nihil est actuale ipsis intrinsecum, nihil subjectivum, nihil physicum, nihil diminutum eas constituens: quid ergò? Divina Divini Artificis Omnipotentia. Forma, qua res constituuntur futurae, dicitur futuritio; in carentia existentiae *pro nunc*, & existentia *pro postea* eam non constituas; in aliquo etenim positivo existenti de praesenti tempore futuritionis statuas oportet. Existentia est: *Actus ultimus de linea entis, quo res formaliter, & completè ponitur extra suas causas.* Ab actuali essentia in rebus creatis realitè differt. Praeteritio, qua res praeterita dicitur, in aliqua forma positiva tempore praeteritionis existenti consistit. Duratio est: *Persistentia rei in existendo.* Triplex est, aeterna, aeviterna, & temporalis, quarum definitiones dabimus in palaestra.

DE PRAEDICAMENTIS.

XII.

Suprema illa entium capita, quae in rebus existere, ac de ipsis praedicari concipiuntur, graecè *Categoriae*, & frequenti Philosophorum consensu *Praedicamenta* dicuntur. Est igitur Praedicamentum: *Ordo, seu*
se-

series praedicatorum essentialium, &c. Duas ante-paedicamentales regulas ad praedicatorum intelligentiam statuit Aristoteles, quas, si oportuerit, assignabimus. Decenarium praedicatorum numerum, Veterum auctoritate probatum, approbamus, & amplectimur; undè divisio entis in decem praedica-
 menta: *Substantiam, Quantitatem, &c.* adaequata est, immediata est, univoca verùm non est.

*DE SUBSTANTIA, ACCIDENTI,
 & Subsistentia.*

XIII.

Substantia primum intèr praedica-
 menta ob-
 tinet locum, quae, ut à completa, & in-
 completa praescindens sic potest exponi: *Ens*
cui debetur existere per se. Sub Substantiae
 praedica-
 mento Deus Optimus Maximus nè
 indirectè quidèmm immoratur; ast in natura
 assumpta directè collocatur. Aptitudinalis in-
 haerentia Accidens constituit: igitur est: *Ens*
cui debetur existere in alio. Subsistentia est
 forma illa, quae naturam in esse substantiae
 complet substantialem, quae eam alteri sup-
 posito incommunicabilem reddit, quaeque de-
 mùm suppositum constituit. Concretum ex
 natura, & subsistentia Suppositum appella-
 tur, quod si natura per subsistentiam com-
 pleta intellectualis sit, dicitur Persona, hac
 enucleanda definitione: *Rationalis naturae,*

etc. Subsistentia à natura substantiali, ejusque existentia prorsus confurgit distincta. Per carentiam unionis, aut dependentiae ab extraneo Supposito aegrè statuitur constituta: modum quippè substantialem positivum, cujus primarius effectus sit naturam in esse substantiae ultimo reddere completam, ut constitutum respicit. Substantialem naturam omnino privatam subsistentia existentem, nec ut possibilem agnosco. Proloquium illud: *Actiones sunt suppositorum*, non denominativè solùm, sed effectivè quoquè verè verissimum est.

DE QUANTITATE, ET RELATIONE.

XIV.

Accidens illud, quod substantiam materialem extendit, Quantitas dicitur praedicamentalis. A substantia materiali, cujus partes extendit, eam contemplamur distinctam. Impenetrabilitatem ut proprietatem, non ut essentiam respicere: atque per extensionem partium in ordine ad se, aptitudinemque ad partes substantiae aequè in ordine ad se extendendas evadere constitutam, non nos latet, certò nobis innotescit. Substantia materialis sub quantitate partes habet substantialitèr entitativè distinctas; illarum tamen distinctio à quantitate non provenit, siquidem pro priori ad illam partes habet realitèr distinctas. Varias Quantitas divisiones sortitur; species habet nonnullas, quasdam
con-

confovet proprietates, proferam omnes. Relatio praedicamentalis, cujus existentiam, nisi nobiscum rixam excitare velis, inficiari non audeas, describitur sic: *Accidens reale, cujus totum, &c.* Pro meritis relationem perpende, & *Subjectum*, cui innititur, *terminum*, ad quem fertur, atque quo erigitur, *fundamentum* invenies, in quorum nullo, nec adhuc in omnibus ejus essentiam reperies: est siquidem modus positivus ipsis realiter superadditus. Relatio suam numericam unitatem à subjecto tantum desumere queit: à fundamento, & ex parte subjecti, & ex parte termini se habente, specificam debet emendicare. *Relationes ipsae per alias relationes non referuntur*, ut D. N. pronuntiavit. (1) Relatio praedicamentalis duos conceptus *in*, & *ad*, & quidem reales importat. Relatio in *mutuam* partitur, & *non mutuam*: utramque exponam, ambarumque viscera pandam.

DE QUALITATE.

XV.

Qualitas est: *Accidens absolutum, &c.* In quatuor species dividitur; prima habitum, & dispositionem comprehendit: secunda potentiam claudit, & impotentiam: tertia passionem, & passibilem continet quali-

(1) *Quaest. 1. de post. Art. 7.*

litate: quarta demùm formam, & figuram includit; singularum explicationem proferam interrogatus. Qualitatem intendi, atque remitti certò certius est: ast in modo stabilien- do mirum est inter Philosophos dissidium; sed ecce N. Ang. Præcep. resolutio: *Non est de ratione intensiōnis alicujus qualitatis, quod sit per remotionem à suo contrario.* (2) *Alii dixerunt, quod charitas (haec est qualitas) essentialitèr non augetur, sed adveniēti majori charitate, charitas, quae inerat, destruitur: hoc etiam stare non potest.* (3) *Non tamen est intelligendum, quod cum una forma intēditur, augeatur per additionem gradus ad gradum.* (4) *Nihil est aliud, eam secundum essentialitatem augeri (loquitur de charitate) quam eam magis inesse subjecto: quod est, eam magis radicari in subjecto.* (5) Haec major qualitatis radicatio in modo accidentali subjecto realitèr superaddito consistit. Talis inter qualitates contrarias in summo intensas adest oppositio, ut nec Divinitus in eodem subjecto valeant coadunari. De caeteris praedicamentis, in Palaestra.

DE

(2) *In 1. sent. dist. 17. q. 2. art. 2. ad 3.*

(3) *In 1. sent. dist. 17. q. 2. art. 1.*

(4) *Opusc. 48. tract. 2. cap. 4.*

(5) *2. 2. q. 24. art. 4. ad 5.*

*DE DEMONSTRATIONE , VERITATE,
& Falsitate Enuntiationis.*

XVI.

Demonstratio, quae, si ordo ad suum effectum ritè perpendatur, est: *Syllogismus faciens scire*; ex parte materiae proximaè apprimè enucleatur: *Syllogismus procedens ex primis, veris, &c.* In demonstrationem *quia*, & *propter quid*, ac in demonstrationem *à priori*, & *posteriori* dividitur, cui placuerit omnes patefaciam, Veritas formalis est conformitas actus cum objecto; haec cum actu intellectus non idemficatur adaequatè: in actu, & objecto aequè importatis in recto posita formalitè non est: per praedica-mentalem relationem veritas formalis non constituitur; sed in relatione transcendentali actus cum suo objecto formalitè consistit; enim verò adversâ viâ incedat falsitas oportet. Eadem propositio absoluta de materia contingenti, prout dubium solet exagitari, de vera in falsam, & de falsa in veram valet emigrare. Praemissarum assensus ad assensum conclusionis, nedùm directivum; sed effectivum quoque praebet concursum; ac intellectum, non quoad specificationem modo, sed quoad exercitium paritèr ad illum eliciendum impellit, atque necessitat. De propositionibus ex propriis terminis manifestis, dictis *per se notis*, interroga, divisiones enim dabimus, & explicationem.

PHY-

(16)
PHYLOSOPHIA NATURALIS,
feu Physica.

XVII.

JUcundissimam prae caeteris mentis nostrae facultatem, quae suo sinu totum amplectitur Univerſum: *Elegantissimum librum*, juxta expressionem Pauli, *in quo visibilia Dei intellecta conspiciuntur*, quibus Philosophus Christianus ad supremi numinis notitiam accedere valeat; Physicam meritò nominamus: *Facultas igitur de ente naturalitèr mobili edisserens* jure physica describitur. Scientiam esse, fatentur omnes. Purè speculativam, unam in specie atthoma, & simplicem qualitatem, praedicant Nostrates. Pro objecto formali *quod* entis naturalitèr mobilis respicit rationem: pro formali *quo* abstractionem à materia singulari, quae sensibilem materiam concernat: pro materiali demùm quodlibet ens reale, quatenùs motus physici capax, certò certius meditatur. Quamvis *ens mobile*, & *corpus mobile* in idem incidant, aptius per *ens mobile* physicae exprimitur objectum; si rationem optas, audies in circo. Sic explicat principium N. Ang. D. *id à quo aliquid procedit*. Varias principium divisiones fortitur: at prout nostra interest, sic prima principia intrinseca definimus: *Quae nec ex aliis fiunt, &c.* In decernendis entis naturalis intrinsecis principiis magna est apud Philosophos varietas, & facilè maxima ipsorum dissia.

XVIII.

XVIII.

Verumenimvero si particulas illas, quae ab aliis *atomi*, ab aliis *corpuscula* vocantur, ut prima entis principia statuere contendis, supra pulverem impossibile construens edificium, quod debilitate propria confestim in pulverem revertetur; sed tamen omnium atomorum existentiam denegare non possumus: ast extensas, & indivisibiles existere, sustinere non valemus. Cartesiana hypothesis profunda, & formosa est, sed à vero quamlongissimè abest. Quinque Chymicorum principia primi principii munus nequeunt obire, cum à compositionis nota minimè queant vindicari. Tria igitur sunt Peripatetica entis naturalis intrinseca principia, *materia* scilicèt, *forma*, & *privatio*, si ens in *feri* per generationem, quae sit mutatio, consideretur; si per generationem, quae mutatio non sit, aut in *facto esse* contempletur, duo, *materia*, & *forma*, tanquam prima principia concurrunt.

DE MATERIA, FORMA, ET COMPOSITO substantiali.

XIX.

Materia prima, cujus existentiam in dubium vertere Philosophum dedecet, hac, Aristotele plaudente, innotescit definitione: *Primum subjectum, ex quo aliquid fit, &c.* Atomistarum atomi, & particulae elementorum Cartesii materiam primam non constituunt; haec quippè physicè consistit in quadam substantiae

C

por-

portione ex se apta ad constituendum ens naturale, tamquam primum subiectum formae substantialis susceptivum. Est ingenerabilis, & incorruptibilis, quae propterea à solo Deo, & quidem per creationem, valet produci. Est itidem verum ens reale positivum, non actuale, sed potentiale; ita ut omni actu, tum informativo, tum metaphysico destitutum evadat. Actum verò entitativum, si per talem intelligas actu, seu de facto entitatem habere, quaevis illa sit, obtinet absdubio; secus si actus entitativus idem, ac entitatem habere significet, quae physicè actus rationem excerceat.

XX.

PER existentiam compositi mediante forma propriè existit materia prima: Undè nec eam umquam propriam habebit; neque sine forma substantiali, Dei adhuc Omnipotentia consultata, ipsam poterit adipisci. Materia prima Coelestis unica forma satiata, atque contenta est, at sublunaris materia omnes formas, quas aut habet, aut naturaliter acquirere potest, naturali innato, & quidem efficaci, appetit appetitu. Si igitur amissæ, aut semel fuerint destructæ, appetitu innato efficaci non amplius eas prosequetur; ex formis tandem, quas materia prima naturalitèr consequi valet, non plus, minuscè unam, quam alteram appetit, si secundum se, & ab omni dispositione eas contempletur praecisa: secus si ex dispositione aliqua ad unam potius, quam ad alteram sit affixa. Unitatem formalem positivam, aut specificam, aut numericam, non sustinet materia prima;

ma ; sibi tamen coaptat negativam. Omnes materia sublunares unam speciem sortiuntur negativam , à qua suam negativè distinctam obtinent coelestes.

XXI.

Plures forma sibi vendicat divisiones , quas ad interrogantis nutum prodere non dedignabor. Substantialis physica , nostri instituti propria sic est definienda : *Actus primus materiae primae, &c.* Forma substantialis materialis non est proportio illa , sive armonia , qua atomi , seu elementa inter se vinciuntur , & colligantur , sed est entitas quaedam absoluta , & materialis , sed non materia : corporea , non tamen corpus : educitur de potentia materiae , nec tamen est aliquid materiae , sed vera substantia incompleta à tota materia realitèr entitativè distincta , quaeque verè producitur , quotiès novum compositum generatur. Formam materialem mixtorum corruptibilium verè educi , quod est veluti extrahi de materia , in cuius potentia continebatur , consentiunt meritò Peripatetici omnes. Triplex , quae à Peripateticis assignatur conditio , dabitur inquirenti. Generationis , Corruptionis , Creationis , & Anihilationis , cui libuerit , definitiones exponam. Formae Coelorum , & Elementorum formae in Mundi primordiis productae fuerunt in esse per Creationem : eas tamen potuisse Divinitùs fieri per educationem , denegare non possumus.

XXII.

Anima rationalis non potest fieri nisi per creationem , ut appositè protulit N. Ang.

Praecept. Duae formae substantiales, disparatae sint, sintvè subordinatae, ne Divinâ spectatâ Potentiâ, eandem possunt informare materiam; proindeque si in composito corporeitatis formam non admittis, mecum eris. Accidentia, tam entitativa, quàm modalia à tota substantia realitèr distincta, quia principiis fidei satis consona, & ad salvandum Eucharistiae Sacramentum aptissima, ultrò promittimus propugnare. Nec sola materia, neque sola forma compositum constituunt substantiale; sed istud ex illis tamquam ex primordiis consurgit. Non per se ipsas uniuntur materia, & forma, ut compositum efficiant, sed medio unionis modo, & ab agentis actione, & ab ipsis realitèr distinctio.

DE NATURA, ARTE, ET VIOLENTO.

XXIII.

Natura, à qua accidens naturale nomen accipit, multifariam sumitur; proprius tamen accepta sic definitur: *Principium, et causa motus, et quietis, etc.* Si notionem naturae adaptare exposcit materiae, & formae substantiali physicae, libentèr annuo: si Deo, & Angelis propriè convenire contendis, ad arma vocamus: si demùm animam rationalem veram, propriamque naturam existimas, & compositum substantiale, sive coeleste, sive sublunare, licèt naturis conflatum, naturam non esse judicas, iudicium approbamus. Accidens naturale, ut violento, & artificiali oppositum, sic explicatur: *Quod ab intrinseco principio advenit, etc.* N. Ang. D.
hac

hac artem dilucida pandit definitione: *Recta ratio operum faciendorum.* Ars aemula naturae, ejusque discipula jure poterit nuncupari; in pluribus siquidem utramque convenire, nullus est qui dubitet: in plerisque quoque utramque differre, nemo, qui ambigat. Ars saepè saepius perficit naturam, quin istâ simpliciter perfectior exurgat. Artem posse directè, & per se opera naturae perpetrare, firmitè negamus; at plures naturae effectus efficere posse mediatè, & indirectè, Doctor docet omniscius; ratio vincit, & quotidiana experientia demonstrat. Accidens artificiale exponitur: *Quod à principio extrinseco advenit subjecto indifferenti.* Violentum est: *Quod à principio extrinseco advenit subjecto resistenti.* Nec Deus creaturis, nec ulla causa superior inferioribus sibi innatè subordinatis, strictam violentiam possunt inferre. De Supernaturali, & Praeternaturali in Palaestra.

D E C A U S I S.

XXIV.

EX omnibus definitionibus, quibus causae explicatur essentia aptiorem lege: *Principium per se influens esse in aliud.* In genera distincta: Materialem, Formalem, Efficientem, & Finale, omnium consensu partitur, quorum quodlibet, suas habet divisiones in conflictu exponendas: ergò divisio illa quadrimembris, nec infima, nec univoca, nec immediata est. Causalitas causae materialis, & formalis in modo unionis utriquè realitè superaddito consistit.

sistit. Effectum formalem *quo* intimum, & immediatum formae formam esse, ut subjecto communicatam; effectum verò *qui* mediatum, & totalem ipsum esse compositum, firmiter tuemur. Praerequisita causae ad causandum quaedam sunt ex parte actus primi, quaedam ex parte actus secundi: ex quibus alia positiva, alia negativa sunt; si ergò possideat causa praerequisita omnia, & positiva, & negativa ex parte actus primi, in actu primo proximo ad causandum dicetur constituta: secùs, si secùs. Nemo potest, aut primò, aut secundò se ipsum producere: omnis ergò realis causa, & effectus realem postulat distinctionem; atque prioritate saltèm naturae effectum causa debet praecedere. Ullus non prodit effectus à causa efficienti, quin haec sive in se, sive in sua virtute physicam habeat existentiam.

XXV.

Elimines optamus causam, quae intacto medio naturalitèr operetur indistans, secùs si ad Divinam attendis Omnipotentiam. Mutuam causalitatem in eodem proximo genere causae pellimus procul; in diverso tamen eam non semèl reperimus. Efficientis causae causalitas actio est, quae in creatis & à causa, & ab effectu realitèr distincta judicatur. Verùm Deus, quippè infinitum Agens, per actionem secum realitèr identificatam quoscumque creatos effectus producit. Substantiam esse primum, & radicale operandi principium, nobis placet: at eam in creatis esse proximum, & immediatum principium, verè displicet; Deus quippè solus est, nostro
sua-

suadente Magistro, qui non agit per potentiam mediam differentem à sua substantia; in omnibus autem aliis proximum operationis principium accidens est. Ex quadruplici capite efficiens principalis causa fecernitur ab instrumentali: si contendenti arrideat, referam planè. Omne instrumentum physicum propriè tale aliqua virtute ipsi intrinseca elevari oportet à principali causa, ut hujus effectum valeat producere. Satis non est ad rationem instrumenti propriè talis, virtutem jure naturae debitam, aut gratuitò donatam recipere; sed requiritur, quod ministerialitè conferatur, ut causae donantis nomine effectum efficiat. Rectè igitur definitur causa instrumentalis propriè talis: *Quae ministerialiter agit in virtute alterius, &c.* Quid & quotuplex sit obedientialis potentia, proferam libentè.

XXVI.

CAUSA finalis est: *Id cujus gratia aliquid fit.* Ratio formalis constitutiva in actu primo est bonitas objecti, vera sit, aut apparens, quae sola voluntatem ad illius amorem allicere queit, apprehensione, licèr necessario, de connotato tantùm importata: undè malum cognitum ut tale finis rationem nequit obtinere. Causalitas finis in actu secundo est allicientia illa, qua finis voluntati propositus, ipsam movet metaphoricè ad mediorum electionem. Causas secundas virtute ipsis à Deo concessa verè producere, suosque efficere effectus, propugnamus: ergò Deus physicè mediatè ad omnium rerum productionem concurrat. Quid ultra? Dei simultaneum

neum immediatum concursum ratione naturali magistra concedimus libentè : de liberis etenim nihil determinamus.

DE MOTU , ACTIONE , ET PASSIONE.

XXVII.

MOtus multiplici vagatur acceptione : ea tamen , quae per motum denotat specialem mutationem sensibilem , praesentis loci propria est ; & aegrè non feras , si universo plaudente peripatu ita motum definiamus : *Actus entis in potentia prout in potentia.* Mutationibus physicis successivis motus notio propriè accommodatur ; instantaneis verò solùm latè , vel ex significandi modo adaptatur. Quid demùm de intentionalibus ? Aliis latè convenit , aliis nec competit latè : quomodò ? In circo. Motus successivus alter est ad quantitatem terminatus , qui *motus quantitativus* appellatur : alter ad qualitatem , qui dicitur *alteratio* : alter demùm ordinatus ad ubi , qui *latio* , sive *motus localis* nominatur. Motum , & à subjecto mobili , & à termino per motum acquisito , realitèr dicimus distinctum. Motus numerica unitas ab unitate subjecti mobilis , connotata sui continuatione si successivus est , internosci debet , atque metiri ; generica à termino *ad quem* secundum se sumpto desumitur ; demùm specifica unitas à termino accipitur *ad quem* , transitus medio connotativè importato. Motus successivus ab actione , & passione , quas secum portat absdubio , realitèr entitativè non differt ; connotativam tamen distinctionem realem

lem ipsis denegare non audemus. Actio formalitèr transiens egreditur ab agente, sed in passo tamquam in subiecto recipitur. Motus ad quantitatem, qualitatem, & ubi, terminatur per se.

*DE MUTATIONE GENERATIVA,
& Corruptiva.*

XXVIII.

Generatio substantialis, cujus existentiam nefas esset in dubium vertere, definitur: *Productio rei substantialis ex praesupposito subiecto.* Perperam judicabis, si substantialis generationis naturam in diversa partium combinatione positam existimes, consistit quippè in productione novae formae substantialis, & à materia prima, & à veteri forma distinctae. Generatio substantialis non est essentialitèr mutatio; ejus denominationis, & inhaesionis subiectum est substantiale compositum; esse verò transmutationis subiectum uni soli convenit materiae. Terminus *qui* substantialis, & totalis est quidem suppositum; terminus *quo* partialis forma; natura verò terminus est *quo* totalis. Concomitantes ad substantialem formam dispositiones ab ipsa effectivè pullulant; licèt praeviae aliunde procedant. Viventium generatio est: *Origo viventis à vivente, &c.* Quando compositi forma à materia separatur, compositum, dicitur perire, aut corrumpi; sic ergò definitur *Corruptio: Actio, qua substantialis forma de sua expellitur materia.* Nihil corrupti in genito composito praeter materiam

D

repe-

reperies: ergò in corruptione substantiali fit resolutio usque ad materiam primam.

*DE ALTERATIONE, RAREFACTIONE,
Condensatione, Nutritione, & Aug-
mentatione.*

XXIX.

Quando res simpliciter non fit, sed de non tali fit talis, generatio contingit accidentalis, sic rectè definienda: *Productio accidentis, &c.* Alteratio strictè sumpta, est: *Motus substantiae completae, &c.* In simplicem alterationem, intensionem, & remissionem dividitur, de quibus in Palaestra. *Rarum* dicitur corpus, quod sub magnis dimensionibus parum habet materiae. *Densum* verò, quod sub parvis dimensionibus multum habet materiae. Nec rarefactionem in acquisitione majoris quantitatis, nec in minoris consequutione condensationem formalitèr statuas constitutas: *Rarum* quippè corpus efficitur de formali per qualitatem, quae dicitur *raritas*, & de materiali per quamdam pororum dilatationem, seu novorum apertionem; *densum* autem constituitur de formali per densitatem, & de materiali per majorem partium accessum, aut per pororum contractionem. Nutritionis, Augmentationis, atque Diminutionis definitiones tradam libenter. Corpora viventia juxta suam naturam habent suae augmentationis, & diminutionis terminum; secus verò non viventia.

* * *

DE

*DE AGENTIUM ACTIONE, REACTIONE,
Resistentia, Reflexione, & An-
tiparistasi.*

XXX.

CUM agens in passum influit, agere dicitur; cum verò passum sua activa influentia agit in agens, ipsumque invicem expugnat, reagere judicatur: hinc in proverbium abiit: *Agens agendo repatitur*, quod ut verum teneat, pluribus indiget conditionibus, exponendis in Li- caeo. Resistentia est conatus ad impediendam oppugnantis actionem; duplex est: altera acti- va, formalis altera, quarum dabimus differen- tias. Cum actio quae longius per lineam rectam erat continuanda, in passum incidit obsistens, à quo, veluti repercussa regreditur, contingit *reflexio*, quae nihil aliud est, quam: *Retroces- sio actionis, seu termini versus agens principa- le*. Actio tendens ab agente in passum obsistens, dicitur actio directa: quae ab obsistente tendit in agens, actio nominatur reflexa: linea actio- nis directae appellatur incidentiae linea; refle- xae autem linea reflexionis vocatur. Cum actio directa in passum ritè dispositum perpendicula- riter incidit, eadem est incidentiae, atque re- flexionis linea; sed quando incidit obliquè, op- positae sunt, & angulus reflexionis incidentiae angulo aequalis fit. Antiparistasis est obsessio debilioris contrarii ab alio fortiori. Aliqua na- turae phoenomena media Antiparistasi quam- optimè explicantur. Vera datur qualitatis in-

tenfio occasione antipariftafis : quaenam fit hujus intenfionis vera caufa , pulsanti aperiã. Agens in paffum omninò fibi fimile in qualitate , & intenfionis gradu , quantumvis diffimile in denfitate , & raritate , juxta leges naturae agere non potefl. Proverbium illud : *Virtus unita fortior* , ab aliquibus falſum , à nobis tamen verum reputatur , fi virtutes unitae adaequatè , feu totalitèr exerceantur ; ſecùs ſi ad agendum ad invicem impediãtur.

DE MOTU LOCALI.

XXXI.

Placulum abſdubio foret motus localis exiſtentiam in dubium vertere , cui , quia in ſucceſſiva ubicationum ferie formaliter ſtabiliendo , haec ſuffragatur definitio : *Transitus mobilis de uno in alium locum*. Varias , quas in ſuo complectitur ſinu , ſpecies , & partitiones , referam placidiſſimè. Motus localis eſt eſſentialitèr ſucceſſivus : non eſt entitas abſoluta , ſed modus poſitivus à mobili realiter modaliter diſtinctus. Propriè non producitur , ſi ſolito Philoſophorum loquendi modo accingimur ; ſin tamen abſolutè loquendo , veram , & propriam productionem ipſi non denegamus. Prima cujuſcumque motus origo Deus eſt , qui immobilis manens , ut Boetius loquitur , dat cuncta moveri ; corpora verò ad motum concitantia ſunt vera , propriaque caufa ſecunda , & non tantùm occasionalis , aliorum corporum motus. Sed quomodo unum corpus poterit aliud ad

mo-

motum excitare? An sola illius in istud impactione? Minimè gentium: necessario quippè impetus produci debet, qui est accidens modale, à movente moto corpori intrinsecè impressum. Si corpus naturali motu, aut ab intrinsecò proveniente, movetur, ne credas, corpus ipsum per sua praedicata essentialia immediatè moveri, sed firmitè tene, motum dictum à qualitate mobili à natura concessa, ipsique congenita, provenire.

*DE MOTUS LOCALIS AFFECTIONIBUS,
seu Proprietatibus.*

XXXII.

Motum localem suis affectionibus pollere, seu proprietatibus, concedunt omnes, quarum praecipuae ordine sequenti enumerantur: *Quantitas, Velocitas, Determinatio, Reflexio, Refractio, & Acceleratio.* *Quantitas* motus est ejusdem motus extensio, qua motus comparatus cum alio, aut eo major, aut dicitur minor; ex duplici capite, scilicèt, ex motus velocitate, & corporis estimatur gravitate: undè si duo corpora mole, aut gravitate aequalia, aequa velocitate moveantur, aequalem motus quantitatem habebunt; si unum ex his corporibus duplò celerius altero creatur, duplò majorem motus obtenebit quantitatem; similiter si certa vis impendatur, ut corpus; v. g. librale intra certum tempus ad quinquaginta pedum distantiam projiciatur, triplicanda esset motus quantitas in corpore, cujus gravitatem triplo
pri-

primum corpus excederet, si eodem tempore ad eandem distantiam foret propellendum. Velocitas motus ex spatio, quod percurritur, & tempore simul, quo iter conficitur, oportet pensari; ita ut illa major dicatur, qua breviori tempore aequale spatium, aut aequali tempore majus spatium percurritur. Velocitas motus entitas non est, aut modus aliquis à motu realitèr distinctus, sed est motus ipse, quatenus minori tempore, aut in majori spatio exercitus comparativè ad alium motum.

XXXIII.

Determinatio motus est directio mobilis in unam potius, quam in aliam partem; sicut motus à causa impellente desumitur, ita determinatio à modo, quo impulsus imprimitur, & corpori communicatur, repetitur. Corpus in aliud impenetrabile impingens reflectitur absdubio: est etenim reflexio: *Regressus corporis mobilis ab alio corpore, quod penetrare non poterat.* Leges reflexionis sunt: si corpus in alterius corporis solidi superficiem directè, & perpendiculariter incidat, per eandem perpendicularem reflectitur: si verò obliquè incidat, ita ex aliqua parte resilit, ut angulum incidentiae angulo reflexionis aequalem efficiat, dummodò obsistentis superficies aequalitati non obsit. Refractio est: Curvatio motus, qua corpus mobile ob majorem, vel minorem corporis obliquè attackti resistantiam à recta, qua incesserat, via deflectit. Corpus ponderosum à medio raro in densum perpendiculariter cadens, non refrangitur, sed per eandem lineam absque
re-

refractione progreditur; si obliquè à medio raro in densum incidat, refrangitur in ingressu à linea perpendiculari recedens: dùm è medio denso in rarum, vel minus densum, ut ab aqua in aerem, perpendiculariter defertur, per eandem lineam sine refractione suum prosequitur motum: si verò obliquè incidat, refrangitur à perpendiculari pariter recedens. Continuatio motus est: *Protensio motus sine ulla interruptione*. Cum corpus mobile aequalibus temporis partibus inaequalia spatia majora, & majora percurrit, motus Acceleratio contingit, quae proindè est: *Continua motus celeritatis accretio*. Motum verè acceleratum reperiri, ipsa gravia corpora, quae quò majori ex altitudine decidunt, eò majorem ictum subjecto corpori infligunt, satis superque demonstrant. Motus accelerationis origo ex velotiori motu desumitur, què corpus decidens in descensu consequitur.

*DE MOTU GRAVIUM, ET LEVIUM,
ubi de Motu Elastico, & Quiete.*

XXXIV.

Nihil clarius, nihilque apertius, quam plurima corpora fursùm, nonnulla deorsùm occulto quodam impetu abire: prima levia, secunda gravia nominantur. Non proficiscitur motus gravium deorsum ab effluviis erumpentibus è terra, vel ab istius attractione, quae & nulla est, & si esset, inter occultas rerum qualitates erat necessè, velint, nolint, ut constitueretur; nec à vorticoso liquidæ substantiæ

tiae motu circum orbem terrarum ; sed à principio corporibus gravibus intrinseco , quod *gravitas* appellatur , originem ducit. Non est sequendus Epicurus , qui gravitatem corporibus insitam , & congenitam fatetur , sed à suis atomis prorsus indistinctam : gravitatem igitur esse innatum impulsum , ad materiae densitatem , & duritiem consequutum , & formae substantiali certis quantitatis dimensionibus connaturalem , & congenitam , judicamus. Levium ascensus efficitur à principio corporibus intrinseco , quod *levitas* nominatur. Levitatem pariter esse intrinsecum conatum ad materiae consequutum molitiem , & raritatem à forma substantiali certis quantitatis dimensionibus innatè exactam , citra aleam teneas quaeso , & nobiscum senties. Tàm gravitas , quàm levitas qualitates sunt à forma substantiali tanquam à radice provenientes ; tàm una , quàm alia in absolutam , & respectivam partitur : quapropter non solum gravitatem absolutam aliquibus corporibus inditam admittimus ; sed & absolutam levitatem in rebus existere , ut Orbis pulchritudini necessariam , quidquid Recentiores clamitent , propugnamus. Vis illa , qua corpus compressum ad debitum extensionis gradum sese reducit , aut reducere connatur , *Elastica* dicitur , & motus ille elasticus appellatur. Quies non sicut motus , in positivo , sed in sola motus privatione consistit.

* * *

DE

DE LOCO, VACUO, ET INFINITO.
XXXV.

Locus in intrinsecum, & extrinsecum partitur: in circumscriptivum, definitivum, & Sacramentalem dividitur: aliis quoque quam plurimis divisionibus congaudet, quas, & omnium explicationem, lubebit expromere in conflictu. Non infimum in Physica subsellium obtinet locus circumscriptivus, quem Angelico plaudente Doctore: ita definimus: *Concava, immobilisque superficies corporis continentis*. Duo corpora eundem locum naturaliter nequeunt occupare: secus si ad Divinam attendas Omnipotentiam. Enim verò si idem corpus in duplici loco circumscriptivè facis simul immorari, plus facies, quam quod Omnipotens Deus facere potest. Vacuum propriè sumptum est: *Locus omni prorsus corpore destitutus*. Nullum de facto extat vacuum magnum, seu *Coacervatum*, Newtoni licèt patrociniò fulciatur; ita vacuo magno resistit natura, ut naturaliter induci non permittat; Dei tamen Omnipotentia operante Vacuum magnum potest reperiri. Id, quod caret fine, si nominis etymon inspiciatur, dicitur infinitum, sic explicandum: *Cujus semper est aliquid extra*. Solus Deus visibilium, & invisibilium Creator est actu, necessario, & cathegorematicè infinitus. Si quid creatum cathegorematicè infinitum expectas, oleum, & operam perdis: si secundum multitudinem, magnitudinem, & intensionem sine cathegorematicè quaeris infinitum, frustra tempus non infumes.

E

PHY-

PHYSICA PARTICULARIS.

DE MUNDO GENERATIM.

XXXVI.

Variae sunt, & equidem congruae Mundi descriptiones; hanc, quae magis arri-det, accipe: *Compages ex Coelo, terra-que coagmentata, atque ex his naturis, quae in ea continentur.* Mundum hunc à Deo fuisse crea-tum, fides Catholica docet. Plures Mundos an-tiquitas decepta somniavit: Unicum tamen, nec infinitae, nec indefinitae, sed extensionis fini-tae, veritas propugnat. Hanc nihilominus uni-tatem non ita affingimus Mundo, ut plures alios, imò infinitos sine thegorematicè possibiles cum Cartesio denegemus. Mundus hic, quamvis res omnes, quae possibiles sunt non complectatur, nec omnem perfectionem à Deo producibilem contineat, perfectus, atque pulcherrimus ha-beri debet. Plures ex Philoiophis antiquis Mun-dum ex materia ab aeterno praeeistente fac-tum existimarunt, sed nec umbram veritatis at-tingentes, à veritate plurimùm aberrarunt; ast turpius nemo, quàm Epicurus, qui ex fortuito quodam corpusculorum insectilium occursum hoc factum putavit Univerfum: contra quos Catho-lica exclamantes voce asserimus, quod *Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit Crea-tura spiritualem, et corpoream, Angelicam vi-delicèt, et Mundanam.* Mundus quantum ad om-nia mixta sublunaria est aliquando defecturus;
Coeli

Coeli verò , & elementa sunt quoad substantiam permanfura , quantumvis interitura sint aliqua eorum accidentia. Mundus in statu , quo nunc est , praescindendo à praesenti Dei providentia , solum Deo ordinarium praebente concursum , in aeternum posset persistere.

D E C O E L O .

XXXVII.

Perfectissima illa regio , quae à Luna usque ad Empyreum longè , latèque diffunditur , Coelum nuncupatur. Coelorum substantiam à substantia elementari toto Coelo diversam judicamus. Corpora praestantissima sunt ex materia , & forma coelesti composita. Nullus Coelos , aut Sydera animata existimet ; anima quippe , ac sensu carent. Alii Coelos fluidos , alii solidos satis probabiliter opinantur ; nos verò Coelos omnes cum secunda solida solidos sententia propugnamus. Nobilissimam Coelorum substantiam ab intrinseco incorruptibilem , corruptibilem ab extrinseco , à Deo videlicet supra eorum naturam operante arbitramur. Coelorum motus ab intrinseco provenire principio plures sunt , qui totis viribus propugnant ; sed extrinsecum esse principium , plausibilis est Philosophorum , & nostrum opinio. Dic igitur nunc sodès cum Ang. D. Quod Angeli huic muneri destinati coelestia corpora movent. Coelorum influxus in haec inferiora quis denegabit , nisi insanire velit ? Coeli ergò , & astra directè influunt in haec inferiora , & sublunaria corpora ; in spirituales verò potentias remotè solùm , & indirectè.

XXXVIII.

Quapropter peritissimi Astronomi ex Syderum inspectione praenuntiare valent stellarum ortus, occasus, aspectus, eclipfes, aliaque hujus generis ad Coeli statum pertinentia: terrae abundantiam, sterilitatem, frigora, siccitatem, elluviones, & similia, magna queunt probabilitate conjicere. Actus liberos voluntatis ex passione, sive affectu appetitus sensitivi solitos contingere, probabiliter, etsi confusè, possunt praesagire; possunt quoque ex bona hominis complexione, robore, valetudine, & aliis multis, honores, & dignitates, quae praefatas dotes consequi solent, generaliter, satis tamen fallibiliter praesentire. Verumtamen, quae ex humana pendent libertate Astrologorum praedictionem longè praetervolant: quae casu fiunt, valdè subterfugiunt: irritae sunt ergò Astrologorum divinationes, quibus varias vitae, & fortunae dotes divinare gloriantur.

DE SYDERIBUS, ET PLANETIS.

XXXIX.

Stellae, aliae appellantur fixae, errantes aliae nominantur: cur aliae fixae, & aliae errantes dicantur, in Palaestra. Sydera omnia tenuis, ac subtilis materiae, quarum partes motu continuo, atque perenni agitentur, jam ferè omnes Recentiores existimarunt; constantissima nihilominus est nostra, atque Peripateticorum sententia, Sydera omnia esse corpora coelestia,
coe-

coelestemque naturam habere, à natura elementorum prorsus distinctam, incorruptibilem revera, ac coelis ipsis, quorum ornamenta sunt, quodammodo nobiliorem. Quò major est astri paralaxis, eò nobis vicinius; quò minor, eò remotius astrum indicatur: est igitur paralaxis aspectuum diversitas, sive distantia inter locum, & locum, in quibus idem sydus à distinctis spectatoribus in distinctis terrae plagis existentibus simul inesse conspicitur. Si stellarum numerum quaeris, *suspice Coelum, & numera Stellas si potes*. Fixa, seu inerrantia Sydera propriam lucem habent, à Sole non emendicatam.

*DE SOLE, LUNA, ET RELIQUIS
Planetis.*

XXXX.

SOL medium inter Planetas cursum arripiens totum illud splendoris flumen, quod ubique spargitur, emittit, atque solus producit. Ignea formaliter non est ejus substantia, quamquam igni similima introspectiatur; altiore enim, atque incorruptibilem pertingit naturam. Deliquium, seu Eclipsim patitur, non quod lucem, quam habet, amittat: sed quia eà noster fraudetur aspectus; quia quando inter Solem, & Terram interponitur Luna, ille sese veluti velatum ostendit. Solis Eclipsis jam partialis evenit, jam contingit totalis; universalis tamen esse non potest, nisi Dei interveniat Omnipotentia: Undè quae spirante Divino Sole Solis contigit obtenebratio, fuit prorsus miraculosa:
imò

imò talem fuisse ex quintuplici capite ex D. Ang. indicabo. Luna corpus est coeleste, atque opacum, & adeò, ut omnem, quò nos recreat, splendorem à Sole habeat emendicatum. Unde nigrae illae maculae proveniant, quibus lunare corpus nobis deforme, ac fordidum apparet? Roganti exponam. Variè in haec influit inferiora. Plures maria, montes, & flumina in luna deprehendentes, plantas, bruta, & homines in ipsa concedere non recusarunt, sed procùl abjicite opinionem hanc, quia Scripturae Sacrae non leviter adversatur. Si à Sole adeò Luna discesserit, ut ipsi tellure directè interposita opponatur eclypsim pati, ut certum habetur. Lunae eclypsis verè eclypsis est; secùs verò Solis eclypsis. Praeter Solem, & Lunam quinque sunt planetae, qui minores dicuntur: non quod plerique luna majores non sint, sed quia ob ingentem distantiam nobis minores apparent; hi sunt: Mercurius, Venus, &c. Coelestem, & opacam obtinent naturam, à Sole totum lumen accipientem.

DE COMETIS.

XXXI.

Cometa à *Coma* dictus, quia stellae, cometae adinstar, plerumque apparere solet, varias divisiones sortitur ratione illius, quam praese ferunt figurae: at omnium praecipua est in *Crinitum*, *Caudatum*, & *Barbatum*. Non est inter Philosophos contemnenda difficultas, an Cometae omnes infralunares, seu elementares sint; an omnes coelestes, aut supralunares debeant
judi-

judicari; pro utraque parte varia periti suppe-
ditant experimenta: nos verò alios infra Lunam,
alios supra Lunam habitari necessarium reputa-
mus. Infralunarium natura sunt terrestres ex-
halationes, puriores nempe, subtilioresque ter-
restris substantiae partes, quae solaribus radiis
excitatae in supremam aeris evehuntur regionem,
ubi à solaribus radiis, aut igne elementari ita
juxta Aristolem accenduntur, vel ità radiis So-
lis trajiciuntur, & illustrantur juxta Gallileum,
ut syderum adinstar effulgeant. Hinc si scire
aveas: primò: undè in praefatis cometis oriri
possit diurnus motus, quo solent moveri? Se-
cundò: unde accessus, & recessus ad alterutrum
polum, quibus per Zodiacum agitari videntur?
Tertiò: unde etiam crines, cauda, aut barba
cometae corpori saepe saepius adhaerentes? Di-
cam libenter. Coelestes Cometae sydera sunt,
aut veri planetae, qui vel novo ordine aliquan-
do videntur, aut peractis lento motu suis cir-
culationibus, vel sursum procùl à nobis sublatis
aliquando tandè statò tempore conspiciuntur,
Plures plura infausta praedicere Cometas arbi-
trantur: sed quid, & an verum? Dicam in Palaestra.

*DE ELEMENTORUM, RERUMQUE
Elementarium qualitatibus.*

XXXII.

Qualitates, quae, lite pendente, adhuc re-
tinent primatum, sunt: Calor, Frigus,
Humiditas, & Siccitas; sed quo jure pri-
matum obtineant, exponam in circo. Non con-
sistit

sistit formaliter calor in celeri, & perturbato motu insensibilium particularum; sed est qualitas quaedam à substantia entitativè distincta, quam partium aliquarum committatur commotio: sic igitur calor explicatur: *Qualitas activa congregativa homogeneorum, et aetherogeneorum disgregativa.* Frigus in salinitrosarum particularum effluvio formaliter non consistit; & quamquam partium quietem secum afferat, per eam non constituitur; est enim qualitas à substantia realiter distincta, itaque describenda: *Qualitas activa homogeneorum, et aetherogeneorum congregativa.* Quamvis omne humidum fluidum sit; non omne fluidum humidum est; & quamquam omne solidum siccum sit, non propterea omne siccum solidum est.

XXXIII.

Corporum fluiditatem in pororum exiguitate, & figura ad motum aptissima, ac in motu partium earumdem perturbato, licet clamitent Recentiores, sitam non reperies; sed per qualitatem, qua corpus ita disponitur, ut propriis terminis difficilè, alienis facilè contineatur, constitutam invenies. Humiditas in qualitate consistit, qua corpus ita disponitur, ut aliis facilè adhaereat. Soliditas non rectè ponitur in partibus crassiusculis ea figura praeditis, quae ad quietem apta, & ad motum inepta sit; sed in qualitate, quae unionem difficilè amissibilem corporibus praestet. Siccitas etiam qualitas est, qua corpus ita disponitur, ut aliis adhaesionem excludat. Ignearum atomorum effluvio lucem ne dicas; quia substantia non est, sed
qua-

qualitas entitativa realiter à substantia distincta. *Perspicuitas*, quae aliàs *Diaphaneitas*, *Pelluciditas*, aut *transparentia* dici solet, non consistit formaliter in pororum rectitudine, nec opacitas in illorum tortuosa, & obliqua dispositione; sed tam prima, quàm secunda qualitates sunt à forma corporis naturaliter dimanantes, quibus corpus ultimo disponitur, vel ad receptionem, vel ad luminis reflexionem, dispositione partium fortassè de materiali importata.

DE ELEMENTIS IN GENERE.

XXXIV.

Elementum, quod cum ex primis principiis compositum sit, ad aliorum corporum compositionem veluti secundarium, & sensibile rerum principium concurrat, sic optimè definitur: *Corpus simplex, quo mixta corporea componuntur, &c.* Nec plura sunt, nec pauciora sensibilia elementa, quam quatuor: Terra scilicèt, Aqua, Aer, & Ignis. Haec in eo, quo à nobis percipiuntur statu, puri elementi dignitatem non pertingunt: eam tamen consequerentur, si in statu primogeniae puritatis persisterent. Locus Elementorum communis est spatium illud expansum, quod infra Lunae concavum usque ad tellurem nostram conspicitur, quod proindè elementaris regio nuncupatur. Conformiter ad nostra principia firmiter asserimus, terram omnium elementorum infimam, aquam terra superiorem, aqua aerem, adhuc altiorem sphaeram

F
ram

ram habere. Quid demùm de igne? Habet ne propriam sphaeram omnium supremam, sub concavo Lunae constitutam? Habet. Et persistit ignis de facto sub concavo Lunae? Elige, & ad quod volueris porrige manum. Formaliter, & constitutivè in mixtis perfectis, quae purè mixta non sunt, elementa non persistunt, sed solùm virtualitèr, aut secundùm proprias eorum virtutes; in mixtis, autem, quae purè mixta contemplantur, formaliter permanent elementa.

DE IGNE, ET AERE.

XXXV.

Ignis substantia est elementaris, & simplex, ex materia, & forma certissimè constituta. Ad illius productionem conservationem, & propagationem (prout nostris sensibus patet) pabulum aliquod, seu combustibilem materiam exposcit; quae ea est juxta Recentiores opportunior, in qua nitrosae, salinae, aut sulphurae particulae uberiores sunt; ea demùm juxta peripateticos, quae eas obtinet qualitates, quae ignis naturae sunt magis conformes. Varias ignis divisiones interrogatus exponam. Aer corpus est subtilissimum terram, & aquam, in unum veluti adunatas, complectens. Ejus universa moles in tres regiones concipitur partita, infimam scilicèt, mediam, & supremam. Infima est, quae tellurem, ejusque incolas proximè circumdat, eaque totâ clauditur atmosphera, sic dicta, quia variis constat particulis aethe-

aetherogeneis , ab aeris natura diversis. Aliquam atmosphaeram altitudinem habere certum est; sed quanta sit , valdè incertum judicatur: Unde inter plures eorum nobis arridet opinio, qui majorem in aestate , quam in hyeme , superiorem quoque sub Zona torrida , quam alibi constituunt altitudinem. Media Aeris regio incipit , ubi infima desinit , estque propria Meteororum officina. Suprema denique est illa, quae supra mediam ad ignis regionem caeteris purior , levior , atque subtilior diffunditur.

DE AQUA, ET TERRA.

XXXVI.

A Qua substantia est elementaris , ex materia , & forma conflata , qua nihil fortè clarius , aut limpidius habetur. Tertia die creationis Mundi congregata est , Deo jubente , in locum unum *Mare* nominatum , quod , licèt revera unum possit appellari , ex variis littoribus , seu terrae locis , quae abluit , diversa nomina sortitur. Maris falsedo , ex innumera penè salinarum particularum copia , in ipso maris alveo à Divino Artifice reposita , provenit: quae admodum amarulentia illa , falsedini permixta , ex bitumine , & sulphure , sale permixtis dimanat; undè si quaeris : quare alicubi falsior , & amarior est aqua maris : & cur maris aqua , immensam penè fluviorum aquam recipiens , dulcior non fiat ? Proferam rationem. Nobis verissima videtur sententia , quae fontes aliquos,

& aliqua flumina ex aqua maris : alia ex pluviis , nivibus , & vaporibus in aquam conversis : alia demùm ex utroque principio trahere originem , arbitratur.

XXXVII.

Terra est ultimum elementum , infimum occupans locum. Non defuerunt Philosophi , qui montium originem ad universale diluvium referrent : verior tamen est illorum opinio , qui in ipso Mundi nascentis exordio montes dicunt constitutos. Montes ignivomi sunt , qui fumum , cineres , ac eructantes flammam aspiciuntur ; evenit hoc propter maximam nitri sulphuris , similisque bituminis copiam , in terrae penetralibus accensam. Plures montes ignivomos historiae referunt , referam & ego principales. Terraemotus est loci , regionisve concutio , ratione cujus terra quatitur , & non semel aedificia , urbes , imò & integra regna solo aequantur miserrimè. Tres sunt terraemotus species , quae frequentè observantur : Tremor , Pulsus , & Inclinatio , de quibus interrogatus dicam. Efficitur terraemotus ab inflammatione sulphurae , nitrosae , & bituminosae materiae , quae in terrae criptis accensa , & nimis rarefacta , locum sibi quaerens majorem , terram quatit , ac tremere facit.



DE

DE METEORIS LUCIDIS.

XXXVIII.

Meteora mixta sunt, quorum communis materia halitus quidam sunt, ex terra, & aqua calore aliquo erumpentes, atque in sublime elevati. Duplex halituum genus distinctum reperies, *vaporum* scilicet, & *exhalationum*, quorum ille ab aqua, haec verò ex terra suam trahit originem. Vapor nihil aliud esse videtur, nisi congeries aquearum particularum invicem disgregatarum, ac sejunctarum aeri permixta. Exhalatio est quaedam aeri permixta particularum terrearum congeries. Meteora, vel lucida, vel ignita, vel aerea, vel demùm aquea sunt. Meteora inter lucida Iris veluti princeps habetur. Est igitur Iris arcus ille multicolor, qui in nube rorida, seu guttulis, quasi rore conspersa, procreatur, ac in parte Soli opposita à nobis expectatur. Non ergò in nubibus tantùm, sed in virenti quoque prato rore consperso, aut quocumque alio corpore opaco rorido vapore circumsepto Iridem, conspicitur, efformari. Tres sunt praecipui colores, quibus splendet Iris, atque intuentium oculos quadam ad se rapit admiratione: hos autem colores, sicut & causam, originem, sive specialem modum, quo in nube à radiis solaribus efficiuntur, juxta peripateticorum explanabimus opinionem.

Alia

XXXIX.

ALia praeter Iridem numerantur lucida Me-
teora, scilicet: Halo, Virgae, Parhelium,
Parascelene, Aura Borea, & Via Lactea. Halo,
seu Corona est circulus ille, qui Solem aliquan-
do, Lunam saepius solet ambire, & non so-
lum circa Solem, & Lunam, sed circa Vene-
rem etiam, & Jovem, licet rarissimè, obser-
vatur. Fit Halo non in aquae descendentis gut-
tis, sed in tenui concrecente nube infra So-
lem, vel Lunam. Virgae sunt radii solares per
nubem inaequaliter concretam, versus terram
protensi, qui ideò Virgae dicuntur, quia per
nubis foramina trajecti in virgarum similitudi-
nem ad terram descendunt. Parhelium, seu
ementitus Sol tunc generatur, cum radii sola-
res in nubem densam, politam, & opacam,
ad Solis latera cum quadam proportione sup-
positam inciderint, indeque reflexi ad nostros
oculos deferantur, tunc enim in nube, veluti
in speculo, unus, aut plures ementiti Soles ap-
parent. Parascelene est ementita Luna simili
modo in nube nobis repraesentata. Aura Bo-
rea est tenuis quidam splendor, qui in Boreali
Coeli parte quandoque elevari solet, vivatiores
in ortum, & occasum radios diffundens; ex
alibus terrestribus in altum euectis, atque ra-
diis solaribus inflammatis, repetenda videtur.
Via Lactea, seu Galaxia est fascia quaedam al-
ba, quae in longum protensa noctu in superis
apparet. Crepusculum est illa admosphaerae pars
illuminata, quae ante Solis ortum in orientali
par-

parte, & in occidentali post Solis occasum videtur.

DE METEORIS IGNITIS.

L.

INter ignita Meteora primum obtinet locum *Fulgur*, *Tonitru*, & *Fulmen*. Horum formationi materiam afferunt terrestres exhalationes, quae ex nitrosis, sulphureis, aut quoquo modo inflammabilibus corporibus, in altum evehctae, aerem quandoque, atque nubem replent. Ignis, seu splendor ille, quem abscissa nube repente conspicimus, *Fulgur* nominatur. Strepitus ille, aut vehemens sonus, & ex aeris commotione, & ex violenta exhalationis expansione dimanans, dicitur *Tonitru*. *Fulmen* demum est exhalatio sulphurea uberior, gravior, atque compressa magis quam *Fulguris*, quae nitrosis particulis permixta egrediens è nube, flammamque secum abripiens, deorsum ruit, ductos quasi serpentinos describens, donec montium culmina, aut tellurem ipsam attingit. Ignis impressiones sunt: *Stellae cadentes*, *Ignes lambentes*, *Dracones*, *Caprae saltantes*, *Ignes fatui*, *Castor*, *Polux*, & *Helena*. *Stellae cadentes* sunt tenuis viscosus, & sulphureus halitus in mediam aeris regionem elevatus, ibique ab una in aliam extremitatem accensus, ac illicò evanescens, veluti stella ruens, aut de Coelo cadens aspicitur.

LI.

LI.

Ignis lambens est exhalatio subtilissima, quae hominum, aut brutorum pilis, absque ulla laesione, ob suam viscositatem adhaeret accensa. Si exhalatio accenditur ita ut medium prius veluti intumescat, Draco contingit. Caprae saltantes sunt laxiores ignes, circa accensum globum velut tripudiantes capilli. Ignis fatuus est exhalatio, quae semel accensa ex aeris commotione, instar fatui hominis, huc, illucque discurret. Si ex exhalationibus, quae ex maris agitatione, & ex pice, ac navium bitumine erumpere solent, & circa navigia frequenter accenduntur, una tantum appareat, dicitur Helena; si autem duae, Castor, & Polux, aut Helenae fratres appellantur. Verum si tres, aut plures appareant, Ignes vocantur S. Telmi: at qui à nautis veluti omen faustum celebrantur.

DE METEORIS AEREIS.

LII.

Ventus nihil aliud est, quam Aer ipse variè commotus, & agitato. Inter plurimum dissidentes Philosophorum opiniones circa causam, & originem motus hujusmodi, eam libenter amplectimur, quae non unicam, sed plures interdum causas concurrere arbitratur; ita ut partim ab Aere, partim à terrestribus exhalationibus, partim denique à vaporibus, sed
ca-

calore omnibus rarefactis , oriatur. Dividitur ventus in Provincialem , & Generalem ; Provincialis est ille , qui alicujus regni , aut regionis proprius est , nec ultra illam solet perflare. Generalis est ille , qui per totum Orizontis spatium excurrit , & singulis ejus partibus communis est. *Cardinales* Venti sunt quatuor : *Eurus* , seu *Subsolanus* , *Zephirus* , vel *Favonius* , *Boreas* , & *Notus* , qui etiam *Auster* appellatur. Singulas qualitates , quas devehunt , ex locis , aut regionibus , per quas transeunt , accipiunt. Praeter istos sunt etiam Venti rapidi , subiti , & violenti , qui vocantur *Procellae*. Quatuor assignantur : *Ecnephias* , *Typho* , *Praester* , & *Exhydrias* , quorum in circo dabimus differentias.

DE METEORIS AQUEIS.

LIII.

A Quea Metheora dicuntur illa , quae ex vaporibus in mediam aeris regionem evehctis , ac ibidem concretis procreantur ; hujusmodi sunt : Nubes , Nebula , Pluvia , Nix , Grandis , Aura Serotina , Ros , Pruina , Mel , Saccharum , & Manna. Quando plurima addensati vaporis corpuscula vi frigoris ita concrefcunt , ut veluti quaedam filamenta fiant inter se mutuo contexta , terreis , aerisque particulis permixta , efficitur Nubes : quae propterea nihil aliud est , quam vapor condensatus. Nubes in aere pendet , vel quia inferiori aere levior est , vel

G quia

quia à vento detinetur. Si nubes valdè spissa, ac densa fuerit, propriè dicitur Nubes; si levis admodùm, aut rara, Nebula nuncupatur. Nubes humiliores hyeme sunt, altiores autem aestate contingunt. Pluvia aliud esse non videtur, quam vaporis, aut Nubis particulae, quae vi frigoris, aut ventorum opera magis condensatae, in guttas paulatim concresecunt, atque in terram guttatim decidunt.

LIV.

NIX est vapor ipse, seu Nubes, quae paullo concreta, ut in pluviam abiret, vi frigoris aliquando glaciatur, & in Nivem, quae non guttulis, sed quibusdam veluti floccis, ex tenuissimis aquae filamentis, aeris particulis, ac nitri permixtis, constare videtur. Quare quae saepè in montibus Nix permanet, in vallibus, & depressioribus locis, antequam cadat, in aquam convertatur? Petenti exponam. Si aquae guttae à Nube jamjam dilapsurae nimio frigore congelentur, Grandines efficiuntur: est ergò Grando congelata pluvia. Aura Serotina est tenuis, ac ferè imperceptibilis pluvia, quae sereno aere post Solis occasum decidit. Ros consistit in tenuissimis vaporibus, qui diurno Solis calore sursum evecti nocturno frigore condensantur, atque in minutissimas guttulas supra herbarum, arborumque folia ante Solis ortum decedentes gemmarum adinstar emicant. Cum humor similis ex eisdem vaporum particulis in aerem evectis intensiori frigore glaciatur, dicitur Pruina.

Hye-

Hyeme fit Pruina, vere autem, & autumnno Ros communiter contingit. Ex Roris, & Pruinæ particulis in aere detentis, & calore exsiccatis filamenta quaedam formantur, quae *Capillitium*, seu Capilli Veneris nominantur. Cum Ros in arborum, florumque folia deciderit, ibique humore quodam viscoso permixtus fuerit, calore aliquo decoquitur, & dulcis effectus, dicitur Mel. Manna est humor quidam ex certis, determinatisque arborum foliis erumpens, rore comixtus, atque calore decoctus. Arbores referam ex quibus colligitur Manna. Saccarum est succus concretus, & dulcissimus ex quarundam extractus arundinum metidulio.

D E A N I M A.

LV.

QUamquam se quomodolibet movere, sit factis impropiè tantummodò vivere; quod verò ab intrinseco movetur, & immanenter operatur, propriè vivere dicitur: Undè vita in actu primo nihil aliud est, quam principium, vis, seu virtus immanenter operandi: Vita tamen in actu secundo est ipsa actio, vel motus immanens à principio intrinseco in suo connaturali statu constituto procedens, quo vivens ad alios actus se ipsum valeat applicare; quapropter motus praedictus est prima nota, & primus veluti character, quo, alia licèt non desint distinctionis signa, quae inquirenti enunciabo, viventia à non viventibus distinguuntur.

G 2

Ut

Ut corpus vitale eliciat operationes, debet esse intrinseco praeditum principio, quod dicitur anima, sic definienda: *Actus primus corporis physici, et organici potentia vitam habentis.* Haec alia descriptiva affertur definitio: *Principium, quo vivimus, sentimus, et intelligimus;* sed haec per accomodam, ut ajunt, distributionem est intelligenda.

LVI.

SToici aliam Animam non admisserunt, quam divinam substantiam, quae organica corpora ad vitales actus impellebat. Alii omnem animam spiritualem, alii omnem corpoream praedicarunt: ast horum omnium sententiae spontè liquefcunt, & in fumum, & auram evanescent. Anima igitur secundum totam suam latitudinem in Rationalem, Sensitivam, & Vegetativam adaequatè partitur. Animae solo numero distinctae, non modo possunt, sed de facto plures sunt secundum individuaalem perfectionem inaequales. Etsi Animae imperfectorum animalium integraliter divisibiles sint; perfectorum tamen Animas animalium indivisibiles judicamus. Nec dantur, nec dari possunt in uno eodemque vivente plures Animae: Undè in homine unica Anima Rationalis formaliter eminenter continet Sensitivam, & Vegetativam; similèr Anima brutorum Sensitiva includit Vegetativam. Anima quaecumque etiam Rationalis, verè, & propriè corporis forma contemplatur.

DE

DE PLANTARUM, ET BRUTORUM
Anima.

LVII.

INtrinsecum illud principium, vi cuius nutriuntur plantae, adolefcunt, atque sibi similia procreant, Anima dicitur Vegetativa. Cave, ne in plantis Animam somniet Rationalem. Procùl ab ipsis relega vitam, Animamque sensitivam; quia *haec opinio est magis lignea, quam sint ipsae Arbores, quibus patrocinium praebet*, ut totidem verbis protulit Mag. Parens Aug. Non igitur est, cur in dubium vertamus, plantas Anima Vegetativa praeditas esse; omnes siquidem eorum motus, & operationes sola partium textura, & organizatione, ut praetendunt Recentiores, nequeunt explicari. Tres in plantis discernuntur vegetativae potentiae, nutritiva videlicet, augmentativa, & generativa, quarum notiones dabimus in Palaestra. Principium illud intrinsecum, quo bruta vitam, & sensum verè participant, Anima dicitur Sensitiva. Instructa sunt bruta Anima vera, quae cognitionis sensitivae, & operationum vitalium principium sit: non ergò tanta hebetudine donantur, quod purae machinae, aut pura automata queant effingi: imò si talia essent, nec sensus operationes, nec cognitionis, quas, admirantibus omnibus, eliciunt, elicere possent. Circa brutorum discursum non defuit (Vir quidem ingeniosissimus, famaue super Sydera notus illustrissimus Feyjoo, nostrae Hispaniae

im-

immortale decus) qui sepultam Antiquorum sententiam exantiquans, in brutis discursum propriè talem stabilire, ac totis viribus ampliare contendit; sed cum illo non sentientes dicimus, quod bruta discursu propriè tali non pollent. Ad perceptionem objectorum, tum sensibilibium, tum intelligibilium, species jam sensibiles, jam intelligibiles necessariae sunt. Hujusmodi sunt in duplici differentia: quae ab objectis in potentiis primo imprimuntur, *impressae* nominantur; quae verò à potentia objecti specie foecundata producuntur, *expressae* meritò nuncupantur.

DE ANIMA RATIONALI.

LVIII.

Anima Rationalis sic Excelso Augustino docente, definitur: *Quaedam substantia rationis particeps regendo corpori accommodata.* Ipsam Spiritualem esse, atque incorpoream, fides praedicat, & naturalis ratio convincit. In aptitudine, seu capacitate ad intelligendum consistit, non verò in ipsa actuali intellectione. Haereticorum circa Animae Rationalis immortalitatem deliramenta ratione naturali reprobantur, Patrum auctoritate abjiciuntur, Sacrarum Litterarum testimoniis damnantur, atque Ecclesiae lumine prorsùs evanescunt. A solo Deo per creationem suam habet originem; per generationem dein corpori, quod vivificat, unitur. Mirabile mutuum illud Animae cum corpore commercium, quod unusquisque in se ipso experi-

ri-

ritur, non est unio Animae cum corpore: haec siquidem formaliter consistit in modo substantiali utrique realiter superaddito. Tota Anima est in toto Corpore, totaque in qualibet parte corporis. Ternas Philosophi agnoscunt in Anima Rationali potentias, Intellectum nimirum, Memoriam, & Voluntatem. Duplex Intellectus, sive duo ejusdem Intellectus munera distinguenda sunt: aliud, quo *agens*, aliud quo *patiens*, seu *passibilis* nuncupatur. Intellectus Agens suo spirituali lumine irradians Phantasmata, novas quidem species elicit spirituales, ut *passibili* Intellectui proportionentur. Intellectus passibilis talis dicitur, quia species recipiendo patitur; qui etiam *possibilis* appellatur, quia potens intellectionem producere. Objectum extensivum Intellectus creati est quodlibet ens quomodolibet verum; proportionatum omne verum naturale; improportionatum verum supernaturale citra dubium erit. Memoria ea est Animae facultas, quae cognitarum jam rerum species, seu imagines retinet, quas dum iterato excitat, novam inducit earum rerum cognitionem, quae dicitur *Recordatio*. Voluntas est illa Animae potentia, quae facem sequens rationis, id appetit, quod ei Intellectus tamquam bonum practicè proponit; idque illicò adversatur, quod ipsi veluti malum idem intellectus ostendit. Ejus objectum extensivum est quodcumque bonum; bonum naturale tamquam proportionatum objectum; improportionatum verò bonum respicit supernaturale.

